

Q.K.515/16.

IIg
115

PROLVSIO
DE X 2313052
**FESTINATO IVVENVM
DISCESSV E SCHOLIS**

PRAEMISSA
**DECLAMATIONIBVS V.
IN ILLVSTRI
SCHOLA GRIMANA**

A. D. XIV. SEPTEMBR.
IPSO DIE SCHOLAE NOSTRAE NATALI
IN AVDITORIO MAIORI
HORA IX. MATVTINA HABENDIS
AD QVAS AVDIENDAS QVAM HVMANISSIME

INVITAT
IOANNES TOBIAS KREBS
ILLVSTRIS MOLDANI RECTOR.

LIPSIAE
LITTERIS BREITKOPFIIS.



BIBLIOLASIO
DB
ESTTINATO IAAENAM
DISCESSA E SCHOLIS

DISCESSA E SCHOLIS
SCHOLASIA NATURALIA
SCHOLASIA GRAMMATIC

SCHOLASIA PHILOSOPHIA
SCHOLASIA MATHEMATICA

SCHOLASIA RETHORICA
SCHOLASIA LATENICA

SCHOLASIA CYTOLOGIA
SCHOLASIA AGRICULTURA

SCHOLASIA MEDICINA
SCHOLASIA DOMESTICA

SCHOLASIA SCIENCE
SCHOLASIA TECNOLOGIA



D E
FESTINATO IVVENVM DISCESSV
E SCHOLIS.



Saepe, multumque audiui, cum Viri docti, qui bonas literas cum magna omnium elegantium iudicium laude in Academia docent, de perniciofa illa con-fuetudine, aetate nostra in dies magis, magisque inualescente, conquerebantur, qua plerique fere iuuenes abrepti, scholis relictis, in Academiam quasi auferantur ita, vt in crassa, pudendaque literarum humaniorum, quarum cultura ingenia praecipue in scholis excoli, et ad sublimiorum doctrinarum cultum excitari, formarique de-beant, ignorantia versari deprehendantur, nec obscure colligere inde mihi videbantur, feliciorem maiorum nostrorum tempore conditionem, praestantiamque magniam scholarum, prae his nostris, fuisse. Iam et si ego non sum is, qui neget, iustissimas esse, et ab ipsius rei indignitate expresas, horum Virorum doctorum querelas de mira iuuenum paucitate, qui e scholis dimissi, eos in literis humanioribus profectus in Academiam secum afferant, quibus adiuti cum fructu Professorum scholis operam dare, easque doctrinae copias colligere sibi possint, quae in scholis altioribus colligi et possint, et debeant: tamen inducere animum non possum, vt credam, eius rei culpam

in scholis ipsis, earumque conditione hodierna residere, superiorumque adeo temporum scholas melius suisse constitutas, magistros habuisse peritiores, fidelioresque, laetoremque adeo iuuenum, literarum humaniorum cultu ornatorum, quasi prouentum tulisse, quam hac nostra aetate fieri soleat. Omnino huani ingenii quaedam siue imbecillitas, siue peruersitas est, vt, antiqua laudando, iniuriam faciamus recentioribus, et, quo altius illa effera-
mus, eo magis fere deprimere haec soleamus. Cuius quidem rei cogitatio saepe animum meum tetigit hoc imprimitis tempore, quo multa scripta, iniquo Apolline, et iratis Musis confecta, de emendanda re scholastica, tanquam immaturi foetus, in publicum effunduntur et protruduntur, quibus meliorem, si Diis placet! formam scholis induere, aegrisque earum membris sanitatem, et nouam quasi vitam speciose, sed vane, pollicentur. Et hae quidem, scholas emendandi, in melioremque conditionem redigendi, rationes ab iis fere traduntur, qui nunquam in scholastico aliquo munere obeundo versati, neque ipso rerum vnu edocti, atque adeo huius disciplinae, vnu indocilis, ignari et sunt, et esse deprehenduntur. Meo eiusmodi scriptiunculas legentis animo non semel obuersatum illud est, quod apud CICERONEM (Lib. II, 18. de Oratore) de Hannibale, Carthagine expulso, et in Syria apud Antiochum M. versante, legimus. Hic enim cum PHORMIONEM, philosophum peripateticum, de imperatoris officio, et de omni re militari aliquot horas copiosius, cum magna aliorum conuiuarum voluptate et admiratione, disputantem audisset, interrogatus, quidnam ipse de illo philosopho iudicaret? iudicium tulisse fertur hoc: *multos se delirasse senes saepe vidisse, sed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem.* Neque mehercule iniuria, subiungit CICERO: *Quid enim arrogantis, aut loquacius etc. norunt enim docti reliqua.* Perquam facile fane est, in Museo suo quaedam pracepta tradere, ad quorum normam res scholastica dirigenda et componenda sit; perquam difficile

cile autem experturo videbitur, eas ad usum ipsum adiungere, et transferre, cum in omnibus fere multo facilius sit, praecpta dare, quam, quod praeceperis, re ipsa praestare. Inuria sane fit, nostrae aetatis scholis, si deteriores, et minus bene constituae censentur iis, quae maiorum nostrorum tempore floruisse existimantur. Nam si vel ipsorum magistrorum, qui tunc temporis iuuentuti instituendae praefuerunt, doctrinam, vel profectus iuuenum, qui, ex eorum disciplina profecti, se in Academiam contulerunt, spectes, et in iudicando nihil neque gratiae, neque malignitati dare velis: non, opinor, iuuenies, quod superioris temporis felicitatem, praestantiamque scholarum pree his nostris praedices, illasque cum contemptu aliquo nostrarum efferas laudibus paene inuidendis. Quodsi quis superiorum temporum scholas feliores, meliusque constitutas eo nomine contenderit, quod eorum magistri a bonis literis instructiores, a docendi facultate praestantiores, et ab affiditate laboris patientiores fuerint: videat, ne cupide magis, quam vere, iudicare, et, antiqua efferendo, recentiora maligne deprimere et deterere videatur. Nam si quis Prolusiones, et alias Commentationes, superioribus illis temporibus, ab ingenuo, doctrinaque magistrorum scholae profectas, cum iis, quae nunc ab huius conditionis viris subinde prodeunt, legerit, et, praeconceptarum opinionum tanquam vinculis non impeditus, contenderit: haud scio, an his idem, quod illis, et forte maius pretium sit positurus. Magna autem illa felicitas scholarum superioris temporis, quam multi in magnis discentium profectibus ponere solent, si recte iudicare volumus, magis ingenti discipulorum numero, qui tunc temporis ad scholas confluebant, quam laudabili eorum bonas literas descendendi ratione metienda, et diiudicanda est. Neque vero hoc in hanc sententiam disputamus, vt de illorum superioris temporis magistrorum scholae meritis, scriptisque detractum aliquid, delibatumque velimus; (pusilli, ieiunique animi id esset) aut

A 3

inanis

inanes et vanas istas multorum Doctorum academicorum querelas de multorum iuuenum pudenda inscitia, qui in Academiam fese conferunt, reddere velimus. Hoc neque in oratione nostra ponimus, neque in cuiusque opinione relictum volumus. Sunt sane omnes illae querelae iustae de crassâ humaniorum literarum ignorantia multorum iuuenum, qui, pennis adhuc minus firmis subleuati, tanquam *Icari*, in Academiam quasi aduolare sustinent. Cuius quidem pudendae inscitiae suae documenta cum in aliis rebus, tum in Speciminibus facultatis latine scribendi non sine aliqua Doctorum academicorum indignatiuncula edunt. Neque vero eius rei culpa in scholarum magistros, aut scholas ipsas coniicienda est, (quod nec faciunt illi prudentes, et aequi iudices) sed in iuuenes ipsos, penes quos quippe stare fere solet, quo minus maiores in humanitatis literis profectus in Academiam secum afferrant e scholis. Cum autem variae sint causae, quibus impediti plerique iuuenes in scholis tam parum in literis humanioribus proficiant: haud scio, an, praeter naturalem ingenii quorundam stuporem, nullis fere artibus expugnandum, ac mollitiem, et, quae affidua fere, atque infelix illius comes est, fugam laboris, et desidiam, ad quam haec aetas nostra nimis proclivis est, praecipuum esse dicam, *festinatum*, et *immaturum iuuenum e scholis discessum*. De qua re hoc tempore, quo illustris Moldani nostri, ante hos CCXVII annos erecti et constituti dies Natalis memoria grata, piaque mente celebrandus est, disputare eo consilio constituimus, vt et disciplinae nostrae alumnos doceamus, quam male sibi, rationibusque suis festinato isto discessu consulant, fortunaeque futurae officiant suae, et parentes, e quorum arbitrio et potestate liberi in hac quoque re pendent, pendere certe debent, forte perpellamus, et eo perducamus, vt ne iniquo isti, et perniciose liberorum desiderio, scholam nimis mature relinquendi, yelificandum sibi, satisfaciendumque potent.

In

In causis festinati e scholis discessus, h. e. iis amnis fieri soliti, quibus neque ingenium, neque iudicium aliquam maturitatem duxit, et iuuenes neque eam latinae, graecae, ebraeae etiam linguae cognitionem consecuti sunt, neque ea altiorum doctrinarum initia rite percepérunt, quibus necessario instructus, ornatusque esse debet, qui e Doctorum academicorum scholis eos fructus percipere velit, qui percipi ex iis et possint et debeant, in huius, igitur, festinati discessus causis equidem primam fere et praecipuum posuerim hanc, quod plerique fere eorum, qui literarum studiosi dicuntur, et haberi volunt, cum de literis in vniuersum, tum de eo doctrinae genere, cui in primis dedere se aliquando, et consecrare volunt, perquam humilem, abiectamque opinionem concipiunt, atque adeo in literis colendis consilium sequuntur inhonestum, et quodammodo sordidum, cum ipsorum rationibus perniciosum, tum bonis literis ipsis parum dignum et honorificum. Nam si quis horum consilium in literis colendis paullo diligentius attenderit, et, quo tendere cupiant, obseruarit: inueniet profecto, eos omnem fere studiorum rationem non nisi *ad panem lucrandum* referre, adeo, vt, quod hoc facere non videatur, id negligendum sibi, et vix primis labiis gustandum arbitrentur. Hinc praefantissimae doctrinae, quarum initia in scholis bene constitutis traduntur, a multis iuuenibus fusque deque habentur, et vix tanti aestimantur, vt de nomine cognoscantur. Quis magistrorum scholae est, quin saepe non sine iusta indignatione, animique dolore cognouerit, *quanto perq[ue]* initia doctrinae Christianae, et Theologiae ab iis iuuenibus in primis, qui olim se iurisprudentiae, aut artis medicae studio dedicare constituerunt, vel hoc nomine in scholis negligantur, quod nunquam studio theologico fese sint consecratur? Quasi vero non cuiusvis Christijani quamplurimum interesse debeat, has res mature probe cognovisse et percepsisse. Hinc iste succedente tempore contemptus religionis, cultusque diuini, ex ignorantia rerum diuina-

diuiniarum ortus: hinc ista multorum vita dissoluta, e contemptu religionis, rerumque diuiniarum profecta: hinc denique infasta ista, et detestanda, si non manifesta, tacita tamen, et rebus ipsis non obscura, literarum sacra- rum irrisio, quae certissima, sed infelicitissima via est, quae ad extremam perniciem dicit, inque deplorandam miseriam detrudit. Cuius infelicitissimi fati exempla non ignota erunt scholarum magistris. Neque vero ista multorum iuuenium contentio in initiosis Theologiae tantum animaduertitur, sed obseruatur etiam in tradendis elementis Logices, Rhetorices, Mathematics, et aliarum doctrinariis, quae, vt quisque magis abiecit et fordide de eo doctrinae genere, cui se vni aliquando in Academia consecrare constituit, senferit, eo magis negligenda sibi, et parui aestimanda arbitratur. Omnia autem literarum et disciplinarum, quae ad humanitatem pertinent, commune quoddam vinculum, quaedam coniunctio et quasi cognatio est, adeo, vt, nisi opem mutuam sibi praestent, amicasque veluti manus porrigant, vnaquaeque earum manca et imperfetta habeatur. Stulte igitur agere, et cum suis ipsorum rationibus, tum bonis literis obesse censendi sunt iuuenes, qui, caeteris doctrinis neglectis, non nisi vnam illam doctrinam, vnde panem aliquando lucrari se posse credunt, quodammodo cognoscendant sibi, discendamque putant. Haec descendit ratio magis opifices fellularios, aut artem aliquam fordidam exercentes, quam bonarum literarum cultores, decet. Quid dicam de linguis doctis, latina et graeca, sine quarum cognitione accurata nemo aditum ad nobiliores disciplinas rite percipiendas sibi munire, neque nomen viri eruditii obtinere, iureque tueri potest? Quotusquisque iuuenium est, qui in scholis bene constitutis, vbi huius rei discendae facultas est, id agendum sibi omni contentione putet, vt utriusque linguae cognitionem accuratam, quantum quidem hac aetate fieri possit, sibi comparet? Nam de latina lingua, multi sibi eam hactenus discendam putant, vt unum

vnum aliquem terminum, ita enim eleganter loquuntur, et posse, et intelligere, bonumque filium scribere h. e. quosdam loquendi flosculos, et elegantes, si Diis placet! phrases ex NEVBAVERO, LINDNERO, aut similis aliquo Lexico diabolari corraderet, et miserabilem aliquando Centonem consuere discant. Nam aliter fere haec sacra iis non constant. Graeca autem lingua, tanquam vilis quaedam, et obsoleta merces, contempta iacet. Nam, qui iurisprudentiae studio aliquando in Academia se dederent constituerunt, ii, auctoritatem Bartoli et Baldi, magnorum illorum Iurisconsultorum, secuti, antiquo illo, et quasi per manus tradito iure, plane eam negligendam arbitrantur. Nihil enim facit περὶ τὰ ἀλφίτα, et auream praxin. Qui autem in Academia olim theologiae, vel medicinae studiosi fieri volunt, non penitus spernendam sibi eam, sed quodammodo descendam putant, et hi quidem, ut verba medica, a Graecis accepta, illi autem, ut Nouum suum Testamentum intelligere, h. e. ope PASORIS aut STOCKII verbum de verbo latine reddere possint. Tantus est graecae linguae neglectus et contemptus, a qua, aliquot abhinc seculis renata, omnis elegantior doctrina exorta, aut potius restituta est, adeo, ut non temere verendum sit, ne, hac lingua iterum intermortua, vna et bonae literae pereant, et latini sermonis puritas pristina barbarie contaminetur, vt iam dudum recte aliquo loco ad ISOCRATEM iudicauit H. WOLFIUS. Qui igitur studiorum rationem in scholis ita instituunt, qui hoc humile, abiectum, et Fordidum confilium in literis colendis sequuntur, ii per breve sane temporis scholastici spatium decurrentum, et, quoniam iam esse aliquid sibi videntur, quamprimum suum e schola discessum matrandum sibi putabunt.

Neque vero haec vna est festinati discessus iuuenium e scholis causa, sed accedit et altera, cum superiori per-

B
quam

quam arcte coniuncta, nempe iuuenilis illa *persuasio*, maxime vana illa et inanis, de magnis profectibus in literis iam factis. Nam qui ita, vt diximus, studiorum rationem in scholis instituunt, qui omnia in literis colendis vnicce ad panem lucrandum referunt, ii, quamvis rudes adhuc bonarum literarum, tamen inani de se ipsis opinione capti facile sibi persuadent, ea iam se paucis annis, et fere inter ludendum literarum adiumenta in schola sibi comparasse, quibus instructi, ornatique in Academia facile et feliciter studiorum stadium decurrere possint. Est fane hic vulgaris, et quodammodo epidemicus iuuenum morbus, quo, veluti vehementi febris ardore, correpti formiant, se, quin primum, initia literarum perceptis, crassam ignorantiam, ruditatemque depulerint, et vix rudimenta deposituerint, iam aliquid sibi sapere, se iam esse eos, qui non diutius disciplina magistrorum scholae sint continendi, nec opera eorum, institutioneque opus habent, rati, ea iam sibi literarum praesidia comparasse, quae vitae academicae sint necessaria; et, si quid earum rerum adhuc desit, id suis ingenii viribus, suo studio facile in Academia addere se et supplere posse. Hic vero verendum mihi non puto, ne cuiquam rem nimis exagerare, aut elatorie dicere videar. Evidem per hos XXI annos scholastico munere functus, et in multis, variisque, ingenii tractandis versatus, faepissime animaduerti, plerumque iuuenes, vbi ultra tirocinia in literis vix progressi fuerint, vbi coeperint aliquid, quamquam fatis miserabiliter, aut e lingua vernacula in latine, et ex hac in illam transferre, aut quaedam vocabula latina et graeca, quamquam nec ea fatis accurate, intellecta, fidei pectori imbibenter, verbo, vbi eo peruerenter, ut praceptorum iam cum voluptate et fructu in iis instituendis operam, studiumque ponere, et sui laboris, perquam ingratiti et acerbi, ante exantlati, fructum percipere possent, fastu tam turgido inflari, eas cristas erigere, vt non

non diutius magistrorum opera et institutione opus habere sibi viderentur. Omnino, commune fere iuuenum, literis colendis consecratorum, vitium est hoc, vt vix mediocrem aliquam linguarum doctarum facultatem consecuti, et ultra initia doctrinarum altiorum vix progreffi, magnifice de se, doctrinaque sentiant sua, magnamque sibi de profectibus suis persuasionem induant: cum autem annis maturioribus paullo melius intellexerint, quam late pateat eruditionis campus, literarum studiosis decurrendus, quot, et quam varia sint ei discenda, qui iure viri eruditii nomine dignus et esse, et haberi velit, tum demum non sine tacito vanae illius persuasionis suae risu modeste de se, doctrinaque sua iudicare incipient, adeo, vt, quod sibi iam ante decem, et plures annos esse videantur, id iam vix, se aliquando futuros esse, credant. Magnum profecto, et non fallax in doctrina, omnique omnino virtute profectum indicium est, non magnifice de se, scientiaque sua sentire, neque eam cum vanitatis ostentatione iactare. Non incommodo luc transflueris illa PLUTARCHI in Libello, Quomodo quisque suos in virtute paranda sentire posse proficiens T.I. p. 140. Edit. Stephan. Ως οἱ τελέμενοι, κατ' αρχὰς ἐν θορύβῳ καὶ βοῇ πρὸς ἀλλήλους ὠθέμενοι συνιστοῦνται, δρωμέων καὶ δεινυμένων τῶν ιερῶν, προσέχοντες ἡδὲ μετὰ φόβῳ καὶ σιωπῇ. Στώ καὶ φίλασσοφοῖς ἐν αρχῇ καὶ πρὶν θύγατες πολὺν θέρυθνον ἔψεις καὶ θραυστηταὶ καὶ λαλίαι, ὠθεμένων πρὸς τὴν δόξαν ἐνώπιον ἀγροίνος τε καὶ βιαίως· οὐδὲ ἐντὸς γενόμενος, ἔτερον λαβὼν βράχηρα καὶ σιωπὴν καὶ θάρρος, ὥσπερ θεῶν τῷ λόγῳ τεπενούσοις συέπεται καὶ νεκτημένος. Quemadmodum, qui sacrīs initiantur, initio cum tumultu et vociferatione sese mutuo trudentes coeunt: cum vero peraguntur et monstrantur sacra, animum timidi, tacentesque aduentunt: ita et in principio et circa fores philosophiae multum videas tumultus, ferociā, et loquacitatis, nonnullis rustice et violenter ad gloriam proruenteribus. Qui vero introuenerit, et lumen magnum velut saecario aperto viderit, alio iam habitu accepto tacitus atque mirabundus

bundus humilis, modestusque doctrinam veluti Deum subsequitur. In hos iuuenes, qui inani ista de doctrina sua persuasione inflati, vanoque fastu turgidi e scholis in Academiam discendent, et aliquot annis demum post, quantum sit, quod nesciant, intelligunt, conuenit ille iocus MENEDEMUS, de quo apud eundem PLVTARCHVM loc. cit. est. Hic enim aiebat: *corum qui ad Scholam Athenas nauigarent, plerosque primum sapientes sibi esse, deinde philosophos fieri, postea oratores, progressu temporis rudes et plebejos: quo enim magis doctrinae se praebarent, eo magis eos fastum, arrogantiamque deponere.* Haec peruersa autem et male fana multorum iuuenium in literis colendis ratio, vanaque de profectibus suis persuasio, cum ipsorum futurae fortunae, tum bonis literis ipsis perniciofa et si ipsa scholae magistris, quibus scholae, ipsorumque discipulorum concreditorum salus curae, cordique est, multum aegritudinis, indignationisque excitat: tamen vix dici potest, quantopere vel indignentur, vel tacite rideant, si nonnullos parentes (omnibus enim eam ingenii, animique imbecillitatem tribuere velle, ea vero grauis et impudens iniuria esset) sive nimio liberorum amore, eorumque amabilibus dotibus captos, sive alia, nescio qua, causa commotos, huic inani liberorum de se ipsis, doctrinaque sua persuasiōni patrocinari, iisque hanc opinionem afferre animaduertunt, vt credant, se iam non poenitendos in literis fecisse profectus, easque iam doctrinae copias in schola collegisse, quibus ornatus esse debeat, qui in Academiam sese conferre velit, ibique cum fructu Professorum scholis operam dare (*collegia audire vulgo vocant*) possit. Scribit filius, quamquam satis miserabiliter, aliquam epistolam latinam; elegantem stilum scribere dicitur: facit elumbes aliquot versus; poeta audit: reddit quosdam versus latine e N. T. et e Codice facro; bonus Graecus et Ebraeus est. Adeo multum profecisse breui tempore ista praecocia filiorum ingenia quibusdam parentibus

tibus videntur! Hic vero repetenda mihi est veteris cuiusdam memoriae recordatio , accommodata rei praefenti, et ad fidem verbis meis faciendam perquam apta. Venit quondam in scholam quandam prouincialem quidam pater eo consilio, vt filium, e disciplina scholastica dimissum, et quasi emancipatum, secunque domum dum et breui in Academiam mitteret. Fuit tum forte stata et solemnis synodus , cui omnes Praeceptores intererant. Petit pater intromitti: intromittitur. Intromissus expavit aduentus sui causam: postulat facultatem discessus filii sui e schola, venia a supremo senatu Ecclesiastico Dresdeni impetrata. Rector illius scholae, non ignarus, quam exigui huius alumnii profectus in literis essent, et quam multa adhuc futuro Academicо deessent, se magnopere mirari, patri regerit, cur filii discessum immaturum tantopere maturet, multum abesse, vt eius filius eos in literis profectus fecerit, quos fecisse debeat, qui Professorum scholis in Academia cum intelligendi facultate, fructuque interesse velit, vt potius Praeceptorum suorum doctrina, institutioneque aliquamdiu adhuc opus habeat: consentire et confirmare reliqui Collegae. Tum vero pater, concusso capite, leniter et blande subridens, *Quid vobis vultis, inquit, o Domini mei! per animam meam filius meus plus, me ipso, scit.* Forte verum bonus pater loquebatur. Et ipse tamen olim aliquot annos in schola et Academia commoratus , eruditorumque adeo choro adiungendus erat. Quid multa? Hoc tam graui patris testimonio convicti falsae suae de suo disciplinae alumno opinionis Praeceptores, minus quippe intelligentes de profectibus discipulorum suorum iudices, ne hiscere quidem audent. Blandus pater filium, literis probe instructum, patre ipso quippe doctiorem, e scholae quasi carceribus emissum secum domum laetabundus, gratulabundusque dicit, quamprimum in Academiam, faustis avibus, Musisque ipsis fauentibus, mittendum. Mirabimurne igitur, iu-

venes, hoc inani fastu turgidos, nihil magis in votis habere, nihil studiosius agere, quam ut, cum in schola nihil fere reliqui, quod addiscendum sibi sit, arbitrentur, quamprimum scholam, tanquam aues implumes nidum, relinquere, et in Academiam aduolare possint?

Omnium autem efficacissima, et frequentissima festinati iuuenum e scholis discessus causa est fastidium disciplinae scholasticae, quamvis liberalis, et *cupido nimiae et immoderatae libertatis*, quam, e scholae quasi ergastulo dimisi, in Academia se consecuturos esse arbitrantur. Educantur liberi his nostris temporibus tenera adhuc aetate saepius domi tam blande, molliter, et delicate, vt omnia fere licere sibi, et pro sua lubidine, quidquid velint, agendum sibi putent. Ita educati, hac disciplina domestica instituti, in aliquam scholam omnis fere disciplinae, quamvis leuis et mitis, impatientes mittuntur, curaeque magistrorum doctrinae cultu poliendi, morumque venustate singendi committuntur. Hic vero, praesertim in scholis prouincialibus, quia vident, interdum etiam ipsi sentiunt, disciplinam esse paullo arctiorem, et puerorum petulantiae, effrenaeque lubidini coercendae idoneam, neque adeo, vti domi, ita hic ex suo ingenio, arbitrioque viuere se posse animaduertunt: sub iugo huius disciplinae scholasticae ingemiscentes ardentissimis suspiriis optant, vt quamprimum, veluti pignora deposita, et non nisi ad breue tempus concredita, a parentibus repetantur, dominumque reducantur. Neque raro blandi et indulgentes parentes his iniustis filiorum desideriis satisfaciunt, eosque domum reductos in sinu quasi molliter fouent, donec attigerint annos, quibus in Academiam mitti posse videantur. Quodsi parentes his stultis liberorum votis annuere nolunt (et sunt quidam tam duri, et difficiles) parent quidem, parentum auctoritate coacti, sed spe dulci feso solantur et lactant interea hac, vbi primum annos, qui

qui vitae academicae quodammodo apti videantur, fuerint confecti, se tamdiu miseris querelis de misera eorum forte, qui disciplina scholastica continentur, parentum aures obtundere velle, donec eorum animos pertinaces fregerint, ad sententiamque flexerint mitiorem. Vix igitur in Classem superiorem, in qua praecipue iuuenes ad studia academicia praeparari debent, transueti (quamquam saepe etiam adhuc in secundae classis subcelliis, ob supinam negligentiam, turpemque inertiam, haerere coguntur) vix que ultra rudimenta earum literarum, quibus iuuenum ingenia, et iudicia perpolienda et acuenda sunt, progressi, cupiditatis vitae liberioris quasi stimulis agitantur, et, quoniam iam multum, etsi non aliis, sibi tamen ipsis sapere videntur, dies, noctesque fere id animo agitant, vt quamprimum, nidulo scholastico relicto, pennas in Academiam tendere, maiorique libertate frui possint. Enecantur igitur parentes horum iuuenum importunis precibus et epistolis, quibus saepe pater, quamquam paulo difficultius antea in concedendo, vinci se, expugnarique patitur, vt filium, e doctrina, disciplinaque scholastica dimissum, quamvis ruden adhuc bonarum literarum, adeoque disciplinis in Academia rite percipiendis minus aptum, domum secum reducat. In quo quidem saepius dubius fui, stolidamne istam, fortunaeque futurae perniciosam talium iuuenum discessum immaturum e schola maturandi cupiditatem magis, an quorundam parentum socrudem curam salutis liberorum, iniustamque in concedendo facilitatem, mirarer. Nam, quemadmodum hi intempestiuæ indulgentia, et iniusta ista in concedendo facilitate stultae filiorum opinioni de magnis iam profectibus in literis humanioribus factis quodammodo patrevinantur: ita illi, in crassa literarum, futuro Academico necessariarum, ignorantia versantes, et tamen in Academiam aduolare gestientes, suis ipsorum rationibus, futuraeque fortunae vix dici potest, quantopere officiant suae.

fuae. Poteruntne enim iuuēnes, qui, scholasticam doctrinam, disciplinamque pertaesi, discessum e schola, maioris libertatis cupidine incitati maturant, qui ne mediocrem aliquam latinae, graecaeque linguae facultatem consecuti sunt, qui vix vnam pagellam latine scribere possunt, quin aliquoties bono illi Prisciano iniuriam faciant, qui omnis fere historiae expertes deprehenduntur, qui nondum imberunt initia doctrinarum altiorum, in quibus tradendis praecipua Professorum academicorum opera et diligentia versatur, poteruntne, igitur, hi iuuenes Professorum Scholis in Academia cum fructu operam dare, earum doctrinas, praeferim si latine tradantur, intelligere, mente probe percipere, rite diuidicare, et perspicere, verbo, eum, quem deberent, ex iis fructum, utilitatemque percipere? Credat hoc Iudeus Apella, non ego. Optandum fane esset, vt omnes parentes, quibus filioruin fortuna curae, cordique est (omnibus autem esse debet) cum alias de incrementis, quae liberi in literis fecerint, tum eo in primis tempore, quo discessum e schola maturare,abitumque in Academiam parare velint, eorum Praeceptores, quorum optima notio in ea re esse debet, consulerent, dignosne eos putarent, qui cum fructu suo in Academiam conferre fese possint, nec ne? Hoc, vti parentum officium est: ita e re, utilitateque liberorum foret. Ita enim immatura iuuenum cupiditas e scholis in Academiam aduolandi coerceretur, et parentes saepe filios suos a bonis literis orationes e schola domum reducerent, posteaque in Academia laetiores, optatioresque in literis colendis profectus facere non sine animi voluptate viderent. Sed omnia alia fere visu venire, experientia edocti scimus. Incessit cupido discipulum, quamuis immaturum adhuc, et ineptum studiis academicis, e schola in Academiam abeundi; rogat coram, aut per literas patrem, vt quamprimum sibi veniam,

niam, e schola ante definitum tempus abeundi, a Principe (ita enim fieri, in scholis prouincialibus mos est) impetrat: ecce! benignus et blandus pater literis suppli-
cibus saepe impetrat, causis, aut a iustis filii profecti-
bus, in literis iam factis, aut a filii valetudine minus com-
moda, aut aliunde ductis, quas non semel vanas et fictas
esse cognouimus. Sed non raro ipsos parentes huius
nimiae facilitatis, indulgentiaeque in concedendo poenit-
tentia, quamquam sera, peracerba tamen, subire solet.
Nam saepe paucis annis post non sine acri aegritudinis,
pudorisque etiam, sensu animaduertunt, filios suos, vti
humaniorum literarum rudes in Academiam nuper mis-
serint, ita nunc ex ea, tanquam bonarum artium mer-
catu, tam inanes, et ab omnibus fere literis tam nudos
redire, vt vix digni habeantur, qui, tolerabili aliqua
conditione, puerulis, doctrinae Christianae initis, et ele-
mentis literarum imbuendis, adhibeantur. Hinc inge-
ns ille, perquam miser et tristis prouentus eorum iu-
venum, qui, absolutis studiis academicis, vti loquuntur,
incerti atque instabiles hinc inde circumuagantes ober-
rant, nescii, vnde tantum ingenio, doctrinaque sua sibi
anquirant, vt ventrem latrantem placare, aut corpus
honeste tegere possint, atque adeo et hic saepe despe-
ratio faciat militem. Haec fere merces est festinati e
scholis discessus: hi fere fructus sunt immaturi in Aca-
demiam abitus ex liberioris vitae cupiditate facti. Hinc
crebrae illae, et iustissimae Professorum academicorum
querelae de perquam exiguis profectibus, quos multi
iuuenum e scholis in Academiam secum afferunt. Hinc
tot querelae summorum Virorum de pudenda eorum
inscitia, qui in Examinibus, quae vocant, interrogati
tam inepte et insulse respondent ad propositas quaestio-
nes, vt ea re crassam ignorantiam prodant suam. Hinc
tot querelae de magno numero eorum, qui muneri suo,
in quod artibus minus honestis siue irrepererint, siue irru-
perint,

C

perint, rite, et ex eius dignitate obeundo plane impares et inepti sunt. Hinc tot querelae de iis, qui — — Sed satis querelarum est, quibus scimus plerumque non multum profici, et multos adeo, qui salutis Ecclesiae, Reique cum ciuilis, tum literariae parum curiosi sunt, ad risum commoueri. Quae in hanc sententiam disputationauimus, diximus consilio hoc, vt et disciplinae nostrae alumnis stolidam istam, et incrementis in bonis literis capiendis perquam perniciosam opinionem, persuasionemque de magnis profectibus suis, quantum quidem facultatis nostrae sit, eriperemus, immaturamque adeo cupiditatem, vitae scholasticae cum academica commutandae, coiceremus, et parentibus ostenderemus, quam inique agant, quam male liberorum saluti, futuraeque fortunae consulant illa nimia facilitate sua in admittendis liberorum precibus, vt nimis mature discedendi e schola facultatem consequantur. Quodsi id, quod in hac prolusione scribenda fecutus sum, non assecutum me, forte etiam nunquam assecuturum esse, intellexero: at confido, Viris doctis, quibus bonae literae, Resque publica literaria curae, cordique sunt, vel hoc nomine quidquid huius Commentatiunculae est non improbatum iri, quod huic peruerfae iuuenum confuetudini, immaturum e scholis discessum maturandi, indies magis, magisque inualescenti, pro munericis mei religione, resistere studui. His si hoc consilium meum probari cognouero: satis amplum exigui huius laboris mei praemium tulisse me, existimabo.

Sed nunc indicandum consilium est, quo commoti ad hanc prolusionem scribendam animum appulerimus. Scilicet, producendi sunt Vhonestae indolis, bona deque fpe iuuenes, qui in memoria diei Scholae nostrae illustris Natalis grato, pioque animo recolenda suae qualisque cunque

DISCESSV E SCHOLIS.

19

cunque dicendi facultatis specimina edent: quorum nomina, non quo sedent, sed quo ad dicendum prodibunt ordine, subiungere visum est. Dicet igitur

I.) GODOFREDVS GERHARDVS
LEOPOLDVS,

Ottendorfenſis Mifnicus,

*De sapientissimo D. Mauritiū confilio in illustri Moldano
erigendo.*

II.) CHRISTIANVS THEOPHILVS
GEISLERVS,

Torgauienſis Mifnicus,

*De religionis, pietatisque studio cum literarum cultura
arctissimo vinculo coniungendo.*

III.) CAROLVS GOTTLLOB RÜDELIVS,

Reinsdorfio - Mifnicus,

*De venustate morum cum literarum humaniorum studiis
coniungenda.*

IV.) IOANNES AVGUSTVS WOLFIVS,

Nauenhofio - Mifnicus,

*De communi omnium liberalium artium
vinculo.*

C z

V.) CA-

AK IIIg 445

20 DE FESTINATO IUVENVM DISCESSV E SCHOLIS.

V.) CAROLVS FRIDERICVS LOHDIVS,

Grünbergenſis Misnicus,

*De iuhonesto confilio multorum iuuenum in literis
colendis.*

Ad quos beneuole audiendos vt a. d. XIV. Septembr.
ipſo Scholae noſtræ die Natali, hora IX. ſacris finitis,
in Auditorio noſtro maiori frequentes conueniant, qui
bonis literis, noſtroque adeo Moldano fauent, huma-
nissime, et officiоfissime rogamus. P. P. in illuſtri Mol-
dano a. d. III. Septembr. A. R. S. MDCCCLXVII.



M



Q.K.515.16.

II
9
115

P R O L V S I O
D E X 23 A 309
**FESTINATO IVVENVM
DISCESSV E SCHOLIS**

PRAEMISSA

DECLAMATIONIBVS V.

IN ILLVSTRI

SCHOLA GRIMANA

A. D. XIV. SEPTEMBER.

IPSO DIE SCHOLAE NOSTRAE NATALI

IN AUDITORIO MAIORI

HORA IX. MATVTINA HABENDIS

AD QVAS AVDIENDAS QVAM HUMANISSIME

I N V I T A T

IOANNES TOBIAS KREBS
ILLVSTRIS MOLDANI RECTOR.

L V S T R I S M O L D A N I R E C T O R

LIPSIAE

LITTERIS BREITKOPF & SÖHNE

